

/ Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali. Romam. 2093

Ill/me et R/me Domine.

Libellos de septem verbis, sacra Biblia et varias in ea lectiones Ill/mam G.V. recte accepisse et probasse gaudeo. De summariis capitum plurimi in Belgio dudum me incitarant ut sacris Bibliis admiscerem. tandem cum Moguntinus typographus in iis cudendis praevenisset, iam poene a quinquennio ad Ill/mum Cobellutium scripsi et Bibliorum exemplar cum iisdem summariis ab avo Plantino p.m. anno 1591 cusum transmissi, quod ille sacrae Indicis librorum congregationis recensendum exhibuit. Et summaria illa capitum edendi facultatem impetravit qua uti coepi nuper in Bibliis in quae et nunc minori forma quam octavam vocant. Et plurimorum hic votis satisfacerem, qui tanti summariorum commoditatem aestimant, et paucorum foliorum molem libenter ferant. Variarum Lectionum Auctor, eximius D. Franciscus Lucas, officinae Plantinianae amantissimus, mense Februario discessit. laborum suorum aeternam a Deo mercedem recepturus, in cuius morte minus mihi dolendum censeo, quo magis ipsius causa laetandum scio. Martinus Nutius affinis meus, (qui sororis meae filiam duxit) cum priora Ill/mae G.V. opuscula haud impresserit, ad postremum de officio principis christiani cudendum minus paratus est: itaque quotquot a bibliopola romano quaterniones accepit, mihi reddidit; nimirum ab A primi alphabeti usque ad Fe secundi alphabeti inclusico. Expectabo reliquos priusquam impressioni me accingam, nam vereor ut sub finem opusculi Ill/mae G.V. errores annotari mandarit, quos vel ego vel correctores mei haud facile observent. Interea gratias quam maximas Ill/mae G.V. ago de benigniori in me affectu, pro quo obsequia mea et cultum libens merito repono. Vale Ill/me et R/me Domine publico Ecclesiae catholicae romanae bono. Antverpiae, in officina Plantiniana, Nonis April. 1619.